



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 361. Usque Ad Annum 395

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1758**

**VD18 90117786**

§. 58. S. Martinus Maximi mensæ assidet.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66032)

ces supplere posset. *Patres nostri*, inquit: *Sæculum IV.*  
*judicibus indulserunt, ne si eis communio-* A. C. 387.  
*nem subtraherent, impiorum hominum de-*  
*fensionem suscipere, & sceleribus impuni-*  
*tatem præstare viderentur.*

Eandem quæstionem in alia epistola *ep. 26. n. 3.*  
tractat, & dicit, hanc præfervide in  
utramque partem moveri, ex quo aliqui  
Episcopi in publico judicio delinquen-  
tes usque ad ultimum supplicium perfe-  
cuti fuissent, atque id factum aliis fuisse  
probatum. *Quando occiditur peccator,* *n. 20.*  
inquit: *homo magis, quam crimen tolli-*  
*tur, si vero persuaseris, ut peccatum dese-*  
*rat, servatur homo, & crimen destruitur.*  
Alibi quoque consuetudinem pro reis *in Psalm.*  
mortis intercedendi commendat, eisque *118.*  
vitam conservandi; *si tamen*, inquit: *hoc Serm. 8. n.*  
*sine tumultu fieri possit, ne ostentatione* *41. in Offic.*  
*potius, quam cbaritate moveri videamur,* *c. 21.*  
*aut, dum minora mala sublata volumus,*  
*majora committamus.* Hæc ideo dicit,  
quod non nunquam vitam damnatis ser- *Lib. 15. 16.*  
vandi imprudens ardor, seditionibus oc- *C. Theod. de*  
casionem dedisset. *pæn.*

## §. LVIII.

*S. Martinus Maximi mensæ affidet.*

Circa idem tempus S. Martinus Trevi- *Sev. Sulp.*  
ris agebat. Et ipse ægerrime induci *vit. n. 23.*  
potuit, ut cum Maximo communicaret,  
unde colligitur, id sapienter S. Ambrosium

Ggg 4

recu-

Sæculum IV.  
A. C. 387.

reculatio, cum subditus ejus, sicut Episcopi Gallia, non esset. Non nulli Episcopi ex diversis Provinciis in aula Maximi versabantur, serviliter adulantes; at S. Martinus in omnibus auctoritatem Apostolicam retinuit. Ad aulam venerat pro quibusdam miseris hominibus supplicaturus; invitatus, ut ad mensam Imperatoris accumberet, diu facere renuit, dicens, non posse sibi mensam communem esse cum eo, qui uni Imperatori Imperium, alteri vitam abstulisset. Maximus asseverabat, se quidem non sua voluntate purpuram sibi rapuisse, sed a militibus compulsus. Armorum suorum successum, qui omnem spem superasset, & inexpectatam victoriam, signa haud ambigua videri, Imperium sibi a Deo factis destinatum; neminem vero inimicorum suorum, nisi in acie stantem, fuisse oppressum. S. Martinus, sive argumentis, sive precibus vinci se passus condixit, ingensque Caesari gaudium dedit, qui ad illud convivium, tanquam singularem Solemnitatem, viros aulae suae principuos, fratrem, Patrum, ambos Comitum Dignitate fulgentes, & Evodium, Praetorio Praefectum, convocavit. Quidam Presbyter, S. Martini socius, honorationis loco inter duos Comites eodem in lecto collocatus est; S. Martinus in sellula penes Imperatorem confedit. Sub mensa m, ut

ut mos erat, pincerna poculum Maximo tradidit, qui illud prius S. Martino dari innuit, haud dubius, quin illud deinde ex ejus manu primus omnium esset accepturus; cum vero S. Episcopus bibisset, poculum Presbytero suo, tanquam omnium praesentium dignissimo, propinavit. Imperatori, omnibusque accumbentibus placuit rara simplicitas; omnium in Curia ore factum laudabatur, dicebaturque Martinus assidente Imperatore fecisse, quod Episcoporum nullus in praesentia minorum gentium Judicis auderet. S. Episcopus Maximo praedixit, si in Italia, ut mens erat, Valentiniano bellum inferret, primo quidem Victorem fore, at paulo post periturum. Maximus in Palatium saepius vocato familiariter colloquebatur; omnium autem sermonum materia erat vita praesens, futura, & aeterna Sanctorum gloria.

*Sev. Sulp.  
Dialog. 2.  
n. 7.*

Imperatrix, dies noctesque S. Episcopi sermones auscultans, ante ejus pedes in terra sedebat, nec avelli poterat. Cum suo nomine S. viro convivium parare cuperet, Maritum rogavit, ut id sibi liceret, atque Imperatore uxoris precibus suas jungente, Martinus recusare non potuit. Haec quidem non sine magna animi repugnatione admisit, nunquam enim faminam propius ad se accedere patiebatur, sed, in Regia deprehensa, tota sua

Ggg 5 liber

Sæculum IV. libertate uti non expediebat; quippe in  
A. C. 387. aulam advenerat liberandis captivis, exu-  
 libus revocandis, bonorum suorum usu  
 privatis, quæ fisco adscripta fuerant, gra-  
 tiam impetraturus. Imperatricis mag-  
 nam fidem mirabatur; concedere hoc  
 poterat; quin maledicentiæ pateret, ut-  
 pote vir tunc temporis annum ætatis  
 septuagesimum agens. Imperatrix qui-  
 dem non simul cibos capienti assedit, sa-  
 tis ei fuit, famulæ vices subire. Ipsa  
 sellam admovit, mensam instruxit, aquam  
 manus lavanti affudit, cibos, manibus  
 suis coctos, apposuit. Martino mandu-  
 cante, remotius stabat, immota, mode-  
 stia ancillæ speciem præbens. Potum  
 quoque propinavit, & post parcissimam  
 refectioem, panis ejus reliquias, & mi-  
 nimas etiam micas sollicitè asservavit.

## §. LIX.

*S. Martinus cum Ithacianis commu-  
nicat.*

*Sev. Sulp. Dialog. 3. n. 15.* Sanctus Martinus, sicut & S. Ambrosius,  
 cum Ithacio non communicabat, nec  
 cum Episcopis, qui cum illo communi-  
 cantes, eodem se odio oneraverant. Hos  
 Episcopos Maximus tuebatur, ejusque  
 auctoritas oberat, ne quis eos condemna-  
 re auderet; unicus Episcopus, nomine  
 Theognostus, publice contra eos senten-  
 tiam pronuntiavit. Cum iidem Episco-  
 pi